



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XIX. De Constitutionibus Summoru[m] Pontificum, Bullario &
Responsis particularibus Sedis Apostolicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

stentia & auxilium unicuique Congregationi juxta capacitatem ejus & exigentiam negotii, cum promittatur Congregatis in nomine suo, hoc est per potestatem ab ipso datam. Jam vero non permittit capacitas uniuscujusque Congregationis, nec quævis res postulat, ut cum decernitur sit de fide, ideoque nec potestas ab ipso data est, ut quæ in particularibus Conciliis aut Congregationibus statuuntur de fide sint, & haberi debeant.

C A P U T XIX.

De Constitutionibus Summorum Pontificum, Bullario, & Responsis particularibus Sedis Apostolicæ.

An Constitutiones Pontificiæ non insertæ Corpori Juris jus faciant universale?

Quam auctoritatem habeat Bullarium.

An Pontifex condere possit Leges universales sine consensu Cardinalium? An

responsa particularia Pontificum faciant jus?

I.

Tertium fontem Juris Cænonici diximus esse Constitutiones Pontificias.

De

De his quæritur : An constituent jus universale, quo omnes in orbe terrarum fideles obligentur. Constitutiones Apostolicæ vel insertæ sunt Corpori Juris à Pontificibus approbato, vel in eo non comprehenduntur. Si insertæ sint, agemus de illis infra. *cap. 23.* Cum exponemus, quam liber Decretalium auctoritatem habeat ; Si in Jure Canonico non comprehendantur, vel producantur in forma authentica, prout immediate promanarunt à Summo Pontifice, vel earum copiarum, quarum plurimæ collectæ sunt in libro septimo Decretalium, de quo infra *cap. ult.* & in Bullario continentur, de cujus auctoritate nunc aliquid subjiciemus.

Bullarium Romanum complectitur Bullas (sic dictas secundum aliquos, quia instar bullarum, quæ fiunt ex aqua brevissimæ sunt vitæ, vel quia dependent ex literis, ut bullæ aureæ olim ex pectore prætextatorum, sed verius teste Macrobius *παρατῆς βελλῆς* id est à Concilio & voluntate, quod prævio Consilio & matura deliberatione, proprio motu & voluntate concessæ sint hinc *βελλῶν* Bullare seu signare, *ἀβελλῶτον* quod sine Bulla vel sigillo est. *Meurs. Lexic. Græco-Barbar.*) & Constitutiones Summorum
Pon-

Pontificum secundum ordinem, quo vixerunt. Primum collectæ sunt & in lucem editæ à Laërtio Cherubino Jurisconsulto Romano. Deinde auctiore numero ab Angelo Maria Cherubino ejus filio Monacho Cassinensi congestæ & typis vulgaræ primum tempore Urbani VIII; Deinde sub Innocentio X, cujus Bullas quoq; complectitur usque ad annum 1654. Lugduni quatuor Tomis impressæ sunt. Demum additus est Tomus quintus Lugduni anno 1673. impressus continens Pontificum Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, Clementis IX & X, Constitutiones in unum opus à RR. PP. Angelo à Lantufca, & Joanne Paulo à Roma Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ collectas.

Verum cum Bullarium istud à nullo Pontifice reperiatur expresse approbatum, nec ullum extet Decretum de eo recipiendo, neque constet an omnes Bullæ in eo contentæ rite sint promulgatæ, aut cum suis Originalibus exactè convenient, ideo nisi in authentica forma producantur auctoritatem legis non obtinebunt, & sententia contra illas lata irrita non erit, neque in judicio illi fides habebitur. *Tuschus lit. E. Concl. 679. n. 1. & 2.* quia sic præsumitur probabilis
igno-

ignorantia talis Bullæ extravagan-
tis, vel saltem non fuisse usu receptam. Ex-
vagantes vero, quæ usu receptæ non
sunt, non obligant. *c. 1. de Treg. & pac.* est-
que communis, ideoque ut tales fidem
faciant in Judicio, produci debent ex-
tra Curiam sub plumbo, in Curia vero
sub sigillo Cancellarii, si descriptæ sint
in libro Cancellariæ, vel sub Sigillo Ca-
merarii Auditoris, si in Camera Aposto-
lica asservantur. Si vero asserventur
in Archivo publico præsumuntur usu
receptæ *Tuschus lit. E. Concl. 680.* Et suffi-
cientem habent publicationem, *Auth. ad
hæc C. de fide instrum.* Cum talis asserva-
tio auctoritate publica stabilita receptio-
nem usumque illius juris denotet, nisi
contrarium probetur. Poterit tamen
Judex, si Bullæ juri communi non ad-
versentur, secundum eas sententiam
ferre, quandoquidem eo Casu non tam
ipsius Bullæ, quam juris communis au-
toritate Judex procedere videtur.

Nullam vero auctoritatem Canoni-
cam confert Bullario, quod evulgatum
sit primò ductu & auspicio Sixti V. ac
deinde Urbanus VIII. cui id auctius de-
dicatum est, privilegium libris præfixum
concesserit Bibliopolæ, ne quis id opus
sine ejus licentia imprimat aut vendat,
quia

quia cæteroquin omnes libri, qui aut hor-
tatu alicujus Pontificis Romani conscri-
buntur, aut eidem cum simili privilegio
Typographico dedicantur, Libri Cano-
nici dicendi forent, quod nemo admi-
serit. Accedit quod Bullæ, quæ extra
corpus Juris circumferuntur, & editæ
sunt ante congestum & approbatum li-
brum Decretalium omni vi legis gene-
ralis destitutæ sint, quia in Procæmiis
Gregorii IX. & Bonifacii VIII. antiquæ
Decretales extra Corpus Juris evagan-
tes excluduntur tanquam contrariæ, du-
biæ, obscuræ vel superflua.

3. Constitutiones vero Apostolicæ seu
Decretales Extravagantes in Corpore
Juris non insertæ, si edantur immediatè
à Summo Pontifice, & in forma authen-
tica exhibeantur, Jus faciunt commune
quo ad omnes *c. 1. de Big. in 6.* quia Summus
Pontifex potest condere leges pro uni-
verso Orbe *c. Cuncta per mundum 9. q. 3.*
c. ad Apostolicæ de re judic. in 6. Cum juris-
dictio illius non restringatur ad limites
alicujus territorii *Innoc. in c. 1. n. 2. de Offic.*
Deleg. sed ex vi institutionis ejus potesta-
tem habet legislativam in universam
Ecclesiam. *Suaaz. l. 4. de Leg. c. 3. n. 10.* adeo-
que Constitutio Sedis Apostolicæ omnes
adstringit. *c. ult. de Constit.* Etiam sine

Z

Con-

Concilio generali, cum leges Romani Pontificis non pendeant à Conciliis, sed decreta Conciliorum ab ipso. *c. Significasti de Elect.* hæc enim nullam vim habent nisi fuerint oraculo Pontificis canonizata. At Pontifex habet plenitudinem potestatis. *c. ad honorem de auctor. & usu pall. & c. Decreto 2 q. 6.* quæ eadem est cum potestate Petri *cit. c. Significasti ult. 9. q. 3.* adeoque immediate à Christo collata, nam, ut inquit Anacletus Papa: *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino primatum obtinuit. c. 2. dist. 22.* Et Pontifex non Petri, sed Christi dicitur Vicarius, Petri vero Successor, ut *cap. 15.* pluribus ostensum est, ideoque sicuti Petrus potuit leges ferre pro universa Ecclesia, ita & Pontifex.

Eandem ob causam potest Pontifex leges etiam graves & universales condere sine consensu & Consilio Cardinalium. *Suarz l. c. n. 14.* quia talem habet potestatem, qualem habuit Petrus, ut diximus, sed Petrus habuit absolutam & independentem à Concilio Apostolorum, nedum aliorum, cum enim dictum est illi: *Pasce oves meas,* accepit potestatem etiam supra ipsos Apostolos adeoque independentem ab illis, ergo & Pontifex pote-

potestatem habet independentem à Cardinalibus, idque supponunt jura dum dicunt: *Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. c. Sunt quidam 25 q. 1. Et Apostolica Sedes sine ulla Synodo precedente solvendi & damnandi habuit potestatem c. Cuncta. 9. q. 3.* Atque ideo dum ferunt leges, propria & sola sua auctoritate id faciunt, nec addunt: *Sacro approbante Concilio vel: De fratrum nostrorum Consilio*, prout in motibus propriis vel rescriptis aliis extra jus facere solent. Et sanè dignitas Cardinalium, quæ nunc est, non semper fuit, sicuti ergo ante institutionem illius condere leges potuerunt Pontifices sine Cardinalibus, sic & nunc id ipsum poterunt.

Nec jure Consuetudinis, aut quasi præscriptionis habent Cardinales, ut consuli debeant, si causæ graviores determinandæ sint, quia contra supremam Papæ potestatem non valet consuetudo aut præscriptio, cum contra jus divinum prævalere non possit consuetudo humana, ideoque consuetudo Cardinalium dependet à voluntate Pontificis, qui potest jura eorum pro libitu immutare.

Constitutiones ergo Pontifici omnes
Z 2 fideles

fideles obligant, & qui eas non observat, ab Ecclesia arcendus est *Bonif. II. in Epist. Decret. Agapitus Epist. 1.* & est anathema *c. 18. 25. q. 2.* sive illæ factæ sint pro fide sive pro disciplina, sive pro correctione, sive pro interdictione futurorum *c. 4. 25. q. 1.* Nec possunt per contrariam consuetudinem convelli *Nicolaus I. in Decret. Tit. de Rom. Pont. c. 1. & 2.* quia accipiendæ tanquam ipsius divi Petri voce firmatæ. *c. 1. & 2. dist. 19.* ideoque illis cedunt omnia alia Sanctorum scripta. *c. 1. dist. 20.* Possunt tamen auctoritate Sedis Apostolicæ pro temporum necessitate & varietate temperari. *c. 6. Cau. 1. q. 7. & mutari in melius. Nicol. I. Epist. 58. & in Decret. Tit. de Rom. Eccl. c. 10.*

4. Neque solum Decreta Apostolica pro tota Ecclesia, vel communitate aliqua jus efficiunt, sed etiam Epistolæ & Responsa Summorum Pontificum particularia ad instantiam & interrogationem unius personæ data, dummodo in Corpore Juris inveniantur, aut proferantur in forma authentica. Nam liber Decretalium plenus est hujusmodi singularibus Responsis, quæ pro generalibus Constitutionibus in eo proponuntur, ut *c. Ex literis & c. ex parte de Constit. aliisque* constat. Deinde ita declaravit Nicolaus
laus

laus I. in *c. Si Romanorum dist. 19.* Gratianus *Dist. 2. in princ.* Innocentius III. in *c. Ea multa de orat. & voti red.* Gelasius Papa in *c. Licet 16. q. 3.* estque receptissima. Nec desunt rationes, nam lex an generalis sit, an particularis, metienda est à potestate Legislatoris, *c. ult. de Constit. in 6.* Legislator vero Summus Pontifex generalem habet jurisdictionem in omnes Christi fideles. *c. Cuncta per mundum 9. q. 3.* Ergo licet responsum datum sit ad particularem locum vel personam, jus tamen, quod efficiunt comparatione omnium casuum similium, ut generale habendum est. Deinde ubi eadem est ratio, idem jus constitui debet. *l. 27. idem & l. 32. de quibus ff. de Leg.* Casus enim similes in lege sub eadem ratione communi continentur. Ne ergo Pontifex acceptor sit personarum, sed omnes uniformi regula moderetur in singulari responso dat legem vel legis interpretationem generalem.

Nec dicas: Nonnulla sibi in responsis Pontificiis contrariari adeoque vim obligandi non habere. *l. ubi repugnantia ff. de R. I.* Non enim Pontifices sibi in definiendo jure, sed in facto judicando adversantur, ideoq; responsa illa non continent errorem juris sed facti. *Covarr. 2 part. 4. c. 7. §. 3. n. 15.*